

vanus, Simoninum Ghilinum ipsius Ducis Aulicum ad civitatem transmisit, eique in mandatis dedit, ut quosdam sibi obsides de Lanzavechiis, Invitiatis, & Squarciafichis tradi faceret, Mediolanumque conduceret; sed ii omnes post mensem domum dimissi sunt. Eodem anno die 29. septembris in festivitate s. Michaelis Ludovicus Guaschus, Simon Ghilinus, Antonius Puteus, & quidam alii Bergolium Regi Francorum dederunt, & cum eo oppidum Solerii; Sexadium mox vi expugnant, ac deprædantur. Oppidum Boschi libertas Mediolanensis circumvallat; mox die s. Ursulæ, relicto Bergolio, Galli unacum Ludovico Guasco, Simone Ghilino, & Antonio Puteo, gentesque suæ factionis aufugiunt. Eodem anno Petrus Pusterla Præfectus renuntiatur libertatis Mediolanensis, qui nullo negotio Bergolium recuperavit. Ædes magnificæ Guascorum solo æquantur. Alexandria per duos insequentibus annos sub dominio Mediolani posita. Eodem anno Philippus Maria Anglus Dominicum Ferruffinum Præfectum Cancellariæ secretæ designat, eidemque præficit.

MCCCCXLVII. Die decimo tertio mensis augusti Philippus Maria Anglus Mediolani Dux diem suum claudit extremum, quo ab humanis sublato, finitimi quoque Potentatus enituntur *omni* animi contentione, ut possent aliquid de ejus imperio detrahere. Quod contigit; nam Montisferrati Marchio oppidum Quadringenti, Quatuordarum, castrum Rivi Francoris obtinuit, quod ita alias appellatum existimo, quod Grimoaldus Longobardorum Rex, cum adversus Regem Francorum manus instruxisset, commisso prælio, fugam simulans, quasi trepidans, castra omnibus rebus, sed vino præcipue referta reliquit; ratus id quod evenit Francos opimæ prædæ intentos, rei militaris industriam remissuros. Franci vero Grimoaldum metu cessisse rati, castris potiti sunt, verum per otium epulas instruunt, & cum vino se onerassent, quieti se dederunt. Quo cognito Grimoaldus post secundam vigiliam somno, vinoque mersos *adoritur, ac de iis* multam stragem edidit. Is locus non procul ab Asta ab re ipsa Francorum Rivus est appellatus; hæc Carolus Sigonius lib. II. de Regno Italiæ, & Paulus Warnefridus lib. V. historiarum Longobardorum capitulo.... Sed ut ad prius incæptum deveniamus, Sabaudia Dux Valentiam, & Montemcastellum, Rex Francorum civitatem Astensem ac insuper Felizzanum, Solerium, Castellatium, & Bergoglium expugnant, & potiuntur. Cæterum die duodecimo mensis octobris cum Rainaldus Disnay Regis Francorum legatus circumvallasset magnis operibus oppidum Boschi, milleque, & quinque centum equites advocasset, Mediolani libertas (sub ejus imperio vivebant Boschenses), ut illis subsidium ferret, ducibus Bartholomæo Colioneo Bergomate, & Astore Faventino, magnam militum copiam transmittit. Idem facit civitas Alexandrina, selecta armatorum manu ad numerum quinguentum peditum, & mille sexcentum equitum, duce Bono Trotto, scientia rei militaris perito, qui cum vidissent rem strenue geri posse, in Gallos imprefione facta, Rainaldum captivum faciunt; alii oc-

ciduntur, quidam vitæ suæ fuga consulunt, Galli tandem vincuntur; sed non sine sanguine id accidit; nam & multi Invitiati, Lanzavecchiæ, & Merulani, dum strenue pugnant, formæ occumbunt. Mox oppida per Gallos occupata victoribus deditioem faciunt. Ex Mediolanensibus quatuorcentum desiderantur; Alexandrini ira perciti ob mortem multorum civium, captivos quamplurimos interficiunt. Dein Gelatius Trottus, qui Castellatium Gallis tradiderat, captivus Mediolanum ducitur. Eodem anno mortuo Philippo Maria Vicecomite imperium Mediolanense in diversas partes divisum fuit. Nam Alexandrini, & Novarienses fidei libertatis Mediolani se commiserunt. Laudenses Venetos sequuntur; Genuates transmissio Appennino multa castra Alexandriæ, & Derthonæ infestabant; nec interim Sabaudia Dux quietem agebat, sed Ticinum, Novariam, & Alexandriam occupare nitebantur; ad id specialiter legatis destinatis, qui tributorum abolitionem promittebant; quibus tamen Valentia, Augusta Bagiennorum, & Burgum aures præbuerunt. Alexandrinorum exemplum multæ civitates, & oppida circumstantia sequuntur.

MCCCCXLVIII. (1) Die duodecima mensis augusti Philippus Maria ex familia Vicecomitum ultimus Mediolani Dux e vita excessit, nondum sexagesimo anno exacto, acuta febre correptus, & in multam bilem alvo soluta, qui paulo ante quam decederet, Franciscum Sfortiam Generum, quem uti suspectum (2) affectatæ tyrannidis multo citius (3) habuerat, virum summæ virtutis recepit: hoc epitaphio adjecto.

Clementissimus, atque liberalis  
Insuorum Dominus Philippus hic est,  
Victis Regibus unico duobus,  
Qui bello manicasque, compedesque  
Levari jubet, in suasque abire  
Donatos opibus Lucullianis  
Sedes, & sua regna liberatos  
Tetro carcere. Discite hinc tyranni:  
Sunt hæc munera Principum superbos  
Debellare, pios & esse victis.

Eodem anno Franciscus Sfortia Imperii Mediolanensis Capitaneus declaratur; is ut sibi Gullielmum Marchionem Montisferrati conciliaret, virum maxima prudentia, & disciplina rei militaris, & in suas partes eliceret, in cujus quidem præsidio, & auxilio maximam spem positam videbat, & maximum momentum ad suas res accedere existimabat, nonnulla Montisferrato adjacentia oppida eidem contulit, videlicet Castellatium, Boscum, Fregarolium, Casale Cermellorum, Pecetum, Petram Maricorum, Montem-Castellum, Quadringentum, Solerium, Sexadium, Cassinas, Burgoratum, castrum Rivi-Bovis, Gamalerium, Pioveram, Revelinum, Castrum-Spinæ, Roccam vallis Urbarum, Petrosam, Pozzolum, Ovillas, & tandem Alexandrinam civitatem una cum jure carcerum.

(1) *Hic ordo annorum perturbatus Philippi mors ad priorem annum spectabat, ut ibi notaverat, non ad istum.*

(2) *Susceptum. MS.*